

hortatur auctoritas, fratres nostros episcopos tam vicinos quam longe positos debita affectione diligere et ecclesiis sibi commissis sua iura inconvulsa servare. Quam ob rem, venerabilis frater Godebalde episcopo, tuis petitionibus impertimur assensum et Misnensem ecclesiam, cui deo auctore praeesse dinosceris, apostolicae sedis privilegio communimus statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona inpraesentiarum ex dono imperatorum aut quorumlibet fidelium eadem ecclesia iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium vel aliis iustis modis deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, videlicet quinque villas inferius annotatas, quarum una vocatur Cozebude, alia Jazelice, alia Hermanni villa, alia vero Bulsize, atque alia Nicradewice, quas utique quidam liber homo Bor nuncupatus, natione Sclavus, in provincia Nisanen, in burgwardo Woz, praesentibus et collaudantibus duobus filiis suis Wichardo et Luthero in praesentia Heinrici secundi regis et aliorum quam plurimum principum Misinensi ecclesiae tradidit. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praenominatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita si non congrue satisfecerit potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius catholicae ecclesiae episcopus. (L. M.)

Ego Lucas presbyter cardinalis tit. sanctorum Johannis et Pauli.

Datum Laterani per manum Aimerici sanctae Romanae ecclesiae diaconi cardinalis et cancellarii III. Kalendas Martii, indictione III., incarnationis dominicae anno M° C° XXX° VIII°. pontificatus vero domini Innocentii II. anno XI.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Bleisiegel an rothseidenen Fäden.  
Köhler cod. dipl. Lus. I. S. 19 f. irrig mit dem J. 1139.

#### No. 48. 1144.

*K. Conrad III. entscheidet unter dem Beirath einiger Fürsten einen Streit des B. Meinward mit dem Markgrafen Conrad über Ortschaften in der Provinz Nisan u. s. w.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Cūnradus divina favente clementia Romanorum rex secundus. Imperialis excellentiae est his, quae ad ecclesiarum pacem spectant studiosè intendere, ut clerus divinis officiis mancipatus tranquillam et quietam vitam sub patrocinio nostro agat et pro statu regni nostri propensius orare valeat.